Dissertatio solennis de morbis medicorum ... / [Justus Heinrich Lange].

Contributors

Lange, Justus Heinrich.
Fürstenau, Johann Hermann, 1688-1756.
Universität Rinteln.

Publication/Creation

Rintelii : Joh. Godofr. Enax, [1732]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/ztv22a3z

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISSERTATIO SOLENNIS
DE
MORBIS MEDICORUM,
QUAM
DEO PROPITIO
BENEVOLO ORDINIS MEDICI CONSENSU
IN ILLUSTRI
AD VISURGIM ACADEMIA
PRAESIDE
D. JO. HERMANNO FüRSTENAU,
PROFESSORE MEDICINAE PRIMARIO
ATQUE OECONOMIAE ORDINARIO,
FAC. MED. H. T. DECANO,
PRO LICENTIA
ADSPIRANDI AD SUMMOS IN ARTE SALUTARI
HONORES
D. XVI. MAJI CIↃ IↃCCXXXII.
H. L. Q. S.
PUBLICO SENATUS ACADEMICI EXAMINI SISTET
JUSTUS HENRICUS LANGE
MüNDA-HANNOVERANUS.

RINTELII
TYPIS JOH. GODOFR. ENAX, ACAD. TYPOGR.

Q. B. V.

DE

MORBIS MEDICORUM

DISSERTATIO SOLENNIS.

I.

Morborum insultibus ut cuncti mortalium congenitæ labis vitio obnoxii vivunt, ita nec qui servandorum hominum disciplinam profitentur, ab iisdem immunes degunt, quin tanto frequentiorem & graviorem ab illis mulctam non raro experiuntur, quanto in artis exercitio aliis antecellere videntur, idque non tam artis saluberrimæ, quam variorum quibus usu ejusdem & exercitatione frequentiori, opportuni sunt, accidentium culpa. Equidem Asclepiadem Prusiensem ob sponsionem factam cum fortuna ne medicus crederetur, si unquam invalidus fuisset ipse, & ut victorem suprema in senecta lapsu exanimatum, a Plinio laudatum accepimus. Hippocrates vero Medicos vult esse carnosos, & optimi colo-

l. 7. cap. 31.

d. Medic. text. 1.

coloris, quod male dispositi aliis minus commode auxiliari possint; & Galenus ita Medicos instituit, ut sese ab omni morbo, præterquam a diaria forte febre ad extremum usque vitæ præservare possint; in illos vero qui de sanitate tuenda scribunt, ac disserunt, nec se ipsos quidem defendere a morbis perpetuo posse, ut ipsis objiciatur: ἄλλων ἰατρὸς, ἀυτὸς ἕλκεσι βρυῶν, acriter invehitur, sicut & Jeremiam Thrivierium, Lovaniensem penes Jo. Bohnium dixisse legimus, nihil infelicius esse Medico ægrotante, omnibus quod in ore sit tritum illud: Medice cura te ipsum. Servius certe Sulpitius M.T.Ciceronem serio hortatur, malos ne imitetur Medicos, qui in alienis morbis profitentur, se tenere medicinæ scientiam, ipsi se curare non possunt, sed potius quæ aliis tute præcipere solet, ea ut sibi subjiciat, atque apud animum proponat. Plato ex adverso Medicos contendit fieri excellentissimos, si a pueritia artem discere auspicati cum plurimis ægris versati ipsique omnes morbos experti natura quoque imbecilles sint, quod cura morborum non corpore sed animo perficiatur. Hujus sane ad mentem Sylvium Batavorum Aesculapium aliquando in votis habuisse accepimus, ut plerosque morbos in se ipso experiri posset, dummodo exinde sana mente convalesceret, ut de hominum affectionibus in proximi commodum constantius judicare, morbosque certius depellere posset. At vero tantam miseriam, ista qui referunt inclyti Medici Vratislavienses, sibi non optant, sed cum Wilhelmo Ten Rhyne, qui hæc de Sylvio narrat in de-

L. 5. c. 1. de san. tuend.

L. 1. de off. Med. c. 4. p. 53.

L. 4. epist. famil. 5.

L. 3. de Rep.

Hist. morb. Vratisl. 1709. p. 104

descriptione febris cardiacæ a semet ipso passæ ostentationem hic quandam fuisse suspicantur, illud tamen, addunt, nostrum est desiderium, ut docti „ Medici morbos quos ipsi patiuntur accurate de- „ scribant. „ Hoc certe desiderium ut alta mente repositum aliquamdiu hæsit, ita ut eidem ex parte fiat satis, eo laborabimus lubentius, quo certius constat, spartam hanc ab aliis derelictam vacuamque esse; cum de morbis eruditorum in universum, de concionatorum & religiosorum, Principum, aulicorum militum, nautarum, opificum, rusticorum valetudine, ab aliis, de JCtorum vero morbis a D. Præside in ep. ad Virum illustrem Z. C. ab Uffenbach singulari labore actum, & qui de prioribus exposuere autores ibidem justo ordine enarrati sint. Hic vero novos plane morbos, & ab aliis toto quod ajunt genere discrepantes nemo sanæ mentis quæret, aut ut ostendantur, expectabit, cum Medicos pariter ac JCtos & Theologos litteratosque in universum omnes, Principes, milites & nautas, variosque opifices & rusticos homines esse constet, a quibus humani nihil alienum existimandum est. Sed quando vitæ genus varium, & varia hominum conditio variis eos morbos opportunos reddit, non alienum videtur A. C. Celsi ad mentem exponere, quod genus adversæ „ valetudinis in quoque timeri maxime possit. Non „ quod non omni tempestatum genere, omnis ætatis, omnis habitus homines per omnia genera „ morborum & ægrotent & moriantur; sed quod „ frequentius tamen quædam eveniant, ideo utile „ est

de morb. JCtor.

Med. L. 2. præf.

„ est scire unumquemque, quid & quando maxime „ caveat. In ingenti vero dicendorum quæ occurrit, sylva, talem ad desiderium Vratislaviensium servare juvabit selectum, ut vel propriis Medicorum, vel qui iisdem proxime adstiterunt, verbis valetudinem eorum exponamus.

II.

Initio quidem illud negari nequit, ex omni retro memoria plura occurrere Medicorum longævorum paradigmata, ut longam istam seriem a Viris Cl. H. Meibomio & J. J. Baiero suppeditatam magna exemplorum haud e trivio petitorum accessione locupletare in proclivi esset. Quod dum brevitatis studio scientes ac volentes intermittimus, non possumus tamen illos sicco præterire pede, in quibus singularia quoad causas præsertim occasionales, & vitæ longæ præsidia proprio vel aliorum judicio occurrunt. Medicamentis hic multi multa in acceptis tulerunt provide usurpatis, quam in rem Pythagoram, qui plura inter alia artem quoque medicam excoluisse fertur, aceti squillitici familiari usu ad 117 annos vitam incolumem produxisse, Galenus autor est. Marcum vero Gallum Caroli V. Cæsaris Medicum, aquæ vitæ cujusdam beneficio annos 124. vixisse, & Hieronymum Brunsvicensem tabulato cuipiam ex rhabarbaro & aromatibus composito adsuetum, ejus ope ad annum ætatis 110. illæsa valetudine pervenisse, ab Henr. Ranzovio relatum accepimus. Hieronymus Fabricius ab Aquapendente singulis fere diebus scrupulum semis pilularum de

ep. de Longev.
ep. de Longev. Med.
L. III. 205. de Medt. facile parabil.
de cons. valet. p. 127.

de aloë rosata assumens firmiter sibi & aliis persuadebat, esse hinc, quod vegetus & sanus ad supremam senectutem duraverit, ut in vita ejus, & a Jo. Joannio relatum est. Nec desunt, qui arcanorum & panacearum ope vitam ad centenos, imo ultra mille annos in nonnullis horum patronis productam fuisse gloriantur, ut penes J. J. Baierum videre est, quos studio mittimus, ne fumum pro veritate vendere videamur. Nicolaus vero Leonicenus Vicentinus, Orator, Philosophus & Medicus eximius, ut in Scaligeranis refertur, ab ipsis incunabulis ad trigesimum usque annum morbo comitiali adeo fuit tentatus, ut pertæsus vitæ, pene sibi manus inferret, sed postquam sedulo ad studia se converteret, Philosophiam & Medicinam cum humanioribus litteris conjungeret, plane eo malo defunctus, omnibus membrorum ac sensuum officiis integerrimus nulla morbi vel suspicione ad nonagesimum quartum annum pervenit. Is rogatus a Paulo Jovio, quonam artis medicæ uteretur arcano, ut tanto cum corporis animique vigore senectutis vitia eluderet ? vividum inquit ingenium perpetua vitæ innocen- „ tia, salubre vero corpus hilari frugalitatis præsidio „ facile tuemur. „ Ejusdem ope præsidii Galenus, qui variis locis naturalem suam infirmitatem fatetur, adhibita nempe diligenti exercitationis cura, tum ne cruditate laboraret, ita se correxisse, scribit, ut vix unquam morbo fuerit conflictatus. Qua ratione, si nonnullis credimus, vitam in centesimum & quadragesimum annum prorogavit: quamvis

L. de util. pil. aloët. cap. 8.

l. c. p. 14.

elog. doct. vir.

L. d. Bonit. & vit. succ.

Sui-

Lexic. chronol. elog. Gal. Suidas & Phil. Labbe eum septuagesimo ætatis anno mortuum, affirmet, & Theophrastus Eresius eodem usus adminiculo senex obiit cum modice a laboribus quievisset, quod de illo Diogenes Laërtius commemorat. Et ut plura mittamus alia hujus rei exempla, de Martino Weisio trium electorum Brandenburgicorum Archiatro in vita ejus narratur, quod tenera semper corporis constitutione præditus nihilominus bono vitæ regimine ætatem ad 88 annos vegeta valetudine perduxerit. Ut vero frugalitatis & victus modici atque exacti post Deum O. M. non postremæ sunt partes in conservanda & proroganda Medicorum vita, ita non desunt exempla Medicorum longævorum qui hæc & similia diætæ præcepta insuper habendo ad extremam nihilominus senectutis metam pervenere. Sicut de Felice Platero, Medico Basileensi octogenario C. Vaterus refert, quod somnum meridianum, plerisque Medicorum culpatum in delitiis habuerit, ac de Joanne Langio, V. electorum Palatinorum Archiatro, qui longinquas suas peregrinationes & varias ærumnas graphice satis descripsit, constat, ipsum octogenario licet majorem nunquam a caseo, cujus nequitia multis infesta est, in pastu quotidiano abstinuisse. Secus ac Simon Paulli, quem 77 æt. anno animi vigore haudquaquam imminuto, nec ullo modo sensibus vel minimum labefactatis leni via placideque ex hac vita discessisse novimus, de se ipso scriptum reliquit: „ ego præter„ quam a cucumeribus conditis ætatem abstinui, „ idemque esu fungorum, terræ glandium, tuberum flo-

de vit. Philos. l. 5.

Act. Med. Berol. dec. 2. vol. 3.

de præs. sanit. p. 14. 18.

L. 2. ep. 1.

floris ſolis canadenſis, aliis artischoki dictorum, „
cochlearum, ranarum denique: nolui enim eſſe „ *Quadrip. Botan. p. 472.*
prodigus valetudinis, adeo ut minime falſus ſit „
Seneca L. de Brevitate vitæ ſtatuens: nos non ac- „
cepiſſe brevem vitam, ſed nos facere. „ Auguſtinus vero Thonerus, Medicus Ulmenſis ita de ſemet ipſo ſcriptum reliquit: Cum jam exceſſerim an- „
num 82 adhuc fruens εὐκρασίᾳ corporis & mentis, „
ut ſenectam illam haud imbecilliorem ſentiam, „
quam olim erat adoleſcentia, non minus videor „
ob grandiorem ætatem in limine lethi conſtitutus. „ *Obſ. præf. l. 3. obſ. 173.*
Cujus quidem longævitatis cauſas belle admodum ab ipſo expoſitas videre eſt. Caſpar quoque Hoffmannus Medicus Altorffinus celeberrimus annum 71 æt. vivendo complevit, qui, ingraveſcente ſenectute, cum vires inciperent decreſcere, aſſiduitas tamen in docendo nequaquam decrevit. Manebit, inquiebat, verum Prophetæ illud: Maledictus, qui facit opus Domini negligenter, invaleſcente tandem & vires plane proſternente, lectoque ipſum defigente ſenectutis, quæ ipſa morbus eſt, ἀδυναμίᾳ. Ut vero laborum & exercitationum aſſiduitas homines, ſigillatim Medicos firmos, robuſtos, atque longævos reddit, ita & iisdem cauſis attriti ſuccumbere tandem coguntur, id quod Pariſienſium exemplo medicorum, Alain, Bouward, Guillemeau, & Renati inprimis Moreau præclare Guido oſtendit Patin, quem quippe appellat l'homme d'honneur, „ *L. 1. ep. 24.*
et de grande merite, qui eſt mort de vieilleſſe, et „
de trop de travail, age de 72 ans, ſon immoderation „

„ a l'etude l'a fait paroitre vieux avant le temps; & porro de eo refert: „ il est mort faut de boire. Sic & de Nicolao Copernico Torunensi, famosissimo Mathematico artium & medicinæ Doctore, Isaacus Bullart ita loquitur: „ Si la grace avoit re-
„ pandu ces dons en son ame, la nature avoit aussi
„ employe le siens a former son corps: car autre la
„ richesse de sa taille, et la boute de son visage: elle
„ l'avoit pourveu d'une complexion si temperee
„ et si vigoureuse, qu'il mourut accablè de la fatigue
„ et de ses longs travaux plutot que du sentiment
„ d'aucune maladie, ce qui advint l'an mille cinq
„ cens quarante trois, en la soixante et dixieme de
„ ses annees. Ac ne in cumulandis his similibusque exemplis nimii simus, unius Petri Foresti Medici in Batavis præclarissimi, mentionem facimus, de quo idem Is. Bullart sequentem scripsit in modum: „ Il se
„ retira a l'exemple de Galien en sa ville natale, ou
„ accablè de ses longes veilles il trouva son repos
„ dans le tombeau age de soixante quinze ans.

Acad. des Scienc. et des Arts P. II. l. 2. p. 76.

III.

Videlicet ut plures dantur causæ secundæ, quæ Medicos sigillatim longævos reddunt, quas inter laudabilis & nativa temperies, partium solidarum robur & fluidarum justa crasis, frugalitas in victu, in rebus omnibus mediocritas, & animi inprimis corporisque exercitationes moderatæ, nunquam intermissæ primas facile tenent, ita non desunt ex adverso tales causæ, eæque occasionales, talia temporum interstitia, quæ Medicos præ reliquis, infirmitatibus mor-

morbis & ærumnis variis opportunos reddunt. Præter enim medicos clinicos ſigillatim dictos, qui ex quotidiana & familiari cum ægrotis conſuetudine multas ſimul moleſtias devorare coguntur, non deſunt, qui ſtudiorum intemperie laborant: dantur medici aulici, & qui Principem ſuum in itineribus & caſtris comitantur, nec deſunt qui anatomicis, chirurgicis, botanicis, chimicis exercitiis præ cæteris delectantur, ipſamque artem obſtetriciam, magno generis humani emolumento, ſed propriæ ſanitatis detrimento exercent. Singuli ſuos patiuntur manes. Et obſtetricantium quidem Medicorum eandem patet eſſe conditionem, quæ eſt obſtetricum, fuſe ſatis a B. Ramazzini delineata; idemque de chirurgis, ſi qui ex medicorum ordine artem hanc antiquiſſimam & præſtantiſſimam propriis exercere manibus ament, prædicandum erit. Anatomicæ ſigillatim exercitationes idcirco nonnullis ſunt ſuſpectæ, quod immunditie, horrore & terrore non paucis fuerint exitiales, ſicut de Wolfgango Striegelio Viennenſi, D. Fabro Vinarienſi, & Marquardo Slegelio Hamburgenſi perſonatus iſte Ianus Vitus Wigandus affirmare non dubitat, ſinguli quod finitis vix anatomicis demonſtrationibus morbo graviſſimo & funeſto correpti fuerint, quamvis Slegelium jam antea de adverſa valetudine conqueſtum & falſum adeo iſtum eſſe rumorem T. Bartholinus oſtendere conetur. Ludovicum certe Bilſium S. Mœreſius aliquando in lecto decumbentem offendit catarrho ex fœtore in ſectionibus canum, quorum

d. M. A. c. 19.

Oper. 4. p. 6.

d. Philiatr. Germ. itin. diſſ. 2. p. 156.

Cent. 2. ep. 25.

præter sexaginta cadavera humana supra mille dissecuisse fertur, teste Zassio, contracto laborantem, ut est ab ill. J. H. de Heucher observatum. De Andrea Vesalio Bruxellensi, Anatomicorum facile principe, & Philippi II. ac Caroli V. Archiatro constat, quod e Palæstina, in quam ob vivorum sectionem & pœnam inde metuendam profugisse fertur, redux & Paduam, ut Gabrieli Fallopio ex decreto Senatus veneti succederet, in itinere occasione tempestatis furiosæ naufragio correptus fame & frigore misere obierit, ut alios inter ab Is. Bullart est commemoratum. De Jo. Georgio Virsungo, ductus pancreatici inventore Hermannus refert Conringius, quod paulo post ab italo quodam invidia percito in suo museo sclopeto trajectus sit. Sic & Robertus Morison Lector & Professor Oxoniensis casu infelici Londini e rheda præcipitatus vitam præmature finiit, ut a M. B. Valentini est relatum, & J. P. Tournefortius præter varios alios casus, quos in longinquis peregrinationibus rei herbariæ causa factis expertus est, fractura costarum composita a curru arcto nimis spatio in platea ipsum prætervehente correptus & extinctus est, sicut præter A. E. L. G. J. J. Rau fidem facit. Ut constet nec morbonam ipsamque mortem ipsis botanicorum principibus parcere, aut rei herbariæ deliciis placari. Nam & Mauritium Hoffmannum insatiabilem quondam rei botanicæ & anatomicæ helluonem ita enervasse fatigationes nimias, ut ex Italia redux videretur ab inferis remeans umbra, certo certius mortalitatem exuturus, ni D. Nœsleri ope-

Ars magn. Anat. 47.

l.c. P. II. l. 2. p. 88.

Intr. A. M. c. 4. §. 29.

P. P. ad lect. phys. botan.

1718. *LIX. p.* 813. *Coll. chir. MSt.*

opera, Deo Reipublicæ litterariæ bene cupiente, ægre tandem vigori pristino esset redditus, & Simonem Paulli botanicum insignem Hafniensem in excursione botanica sinistro casu fere crurifragium passum esse laudatus ante Wigandus refert. Ac ne de Valerio Cordo aliisque similibus malis ex causis similibus afflictis plura faciamus verba, chimici faciunt labores, qui quantum non raro damni improvide imprimis tractati afferant, a B. Ramazzini egregie ostensum & exemplis non unis confirmatum est. Theophrastus certe Paracelsus, qui ut Salisburgi in ejus epitaphio legitur, dira illa vulnera, lepram, podagram, hydropisin, aliaque insanabilia corporis contagia mirifica arte sustulit, anno æt. 47. diem obiit supremum, & proprio adeo exemplo arcanorum & panacearum, quas venditavit, vanitatem docuit, & si conjecturæ locus est, inter carbones chimicos devoratæ molestiæ, tot inter venena concocti labores, vel, si alios audias, dysenteria a scobe adamantis contracta obitus præmaturi causa extitit. De Michaële Ettmullero magni certe nominis Medico & Chimico Lipsiensi sed βραχυβίῳ tum ipse tum Lexicon universale historicum, tum laudatus modo Ramazzini, de Scheunemanno vero arcanorum vanitate capto, sed ipso valetudinario, & calculi arthriticisque doloribus alternatim afflicto, Gvernerus Rolfincius consuli merentur. A fumo sigillatim antimoniali occasione præparationis antimonii diaphoretici spirando pulmones illapsi tantam cordis palpitationem, quæ costas frangere velle videbatur, sibi contraxisse Godefr. Scultzius refert. IV.

l. c.

l. c. c. 4.

Op. edit. noviss. P. III. p. 436. Chim. A. F. red. p. 52.

Tr. de Nat. tinct. Bez. c. 5.

IV.

L. de Brevit. vitæ c. 19. Quemadmodum autem Seneca miserrimam eorum pronunciavit conditionem, qui ad aliorum voluntatem componere suas occupationes, somnum, appetitum, jubentur; ita Philippus Höchstetterus idem ad Medicorum pragmaticorum conditionem pulchre admodum applicat hisce & quæ sequuntur verbis, lectu plane dignissimis: „ Nos „ omnibus laborem, cibum, potum, somnum in me- „ diocritate esse jubemus, idem nobis nunquam „ quasi conceditur. Eandem vero ob causam aulicorum inprimis & castrensium Medicorum sortem deplorandam esse, patet, quam Jo. Crato trium Imperatorum Medicis ita describit: „Solis jam 14 annis „ alieno modo mihi vivendum fuit, edendum, labo- „ randum, somnus capiendus, non quod natura & vo- „ luntas hoc postularet, sed cum Dominis visum fue- „ rit, ubi igitur exacta illa diæta? cum & stare, nutare, expectare, elogio Wedeliano sint affectiones aulæ ordinariæ. Ita de G. Palma celebri Noribergensium Medico, & Ducis Papebergensis Archiatro a Joachimo Camerario relatum est, eum tabulæ Principis convivam adsidentem flatibus præter opinionem subito exortis, & præ verecundia retentis cruciatum, maloque brevi aucto iliaca passione confectum esse. Peregrinationes vero quod concernit, singulare est, Engelberto quod Kæmpfero in itinere orientali satis longinquo contigit, quodque occasione memorabilium montis Benna, in Persidis provincia Laar, quo ad lapidis Bezoar, aliorumque natu-

Præf. obs.

L. 2. ep. p. 258.

Obs. MSt.

Amœnit. exot. fasc. 2. rel. 9. p. 382.

naturalium indagationem non ſine multo labore profectus erat, ſequentem deſcribit in modum: Devenimus cum diluculo diei decimi octavi ad „ xenodochium in deſerto poſitum, & ſemidirutum „ ardentibus ventis, immane quantum hic ſævientibus, oppoſui lodiculam in modum papilionis expanſam, quam ſubinde intus humectavi, ut continuo maderet: ita enim aër admiranda proprietate algeſcit, & corpus contraria qualitate afficit. „ Accidit mihi, quia levi theriſtrio induebar, ut „ quam partem corporis lodice humida crebrius „ attigerat, in eadem poſtridie omnis cuticula quaſi „ uſtulata abſcederet: eodemque loco infirmitatis, „ ſed innominatæ aliquoties meminit. „ Caſtrenſium morbos medicorum nemo vivis magis coloribus depinxit, & exemplorum numero auxit, quam Tobias Coberus medicus ipſe Caſtrenſis exercitatisſimus. Georgius Francus cum Domino ſuo Georgio III. Electore Sax. in caſtra imperialia ad rhenum concedens parum abeſt, qnin una cum filio periret caſtrenſis morbi vehementia, aut potius laborum tam ſtrenue actorum magnitudine; Dei tamen benigna ope, quamprimum ad Helvetiæ fines eſſet deventum, uterque ſerenioris & magis defœcati aëris tractu mox convaluit, ut a Vindiciano eleganter expoſitum eſt. Andreas Gundelsheimerus, & Swartzius, Archiatri Borusſici, Regem ſuum in expeditione bellica Pomeraniam ſecuti, quo morbi funeſti genere tacti, quibusque remediis uſi ſint, in Actis Medicorum Berolinenſium videre eſt, a quibus Vog-

Obſ. caſtrenſ. Hungar.

elog. G. Francii

Vol. I, p. 18.

Vol. 9. p. 31. Vogtii ibidem quod refertur, exemplum, non multum abludit. Petrus Lotichius Secundus & Rudolphus Wilhelmus Crausius in itinere Italico philtrum malitiose sibi propinatum hauserunt, haud sine ingenti valetudinis detrimento, ut in vita eorum legere est. Johannes vero Nollens, Medicus Leodiensis, *Obs. med. XXVI.* „ teste Henrico ab Heer sumto suo vomitivo, gil- „ lam vocant, totas triginta horas convulsus ad non entes abiit. Hic certe an quæ de Cornuto suo Guido refert Patin, valeant, incertum: il est mort *L. 1. ep. 60.* du même couteau, dont il avoit egorge les autres, „ savoir de juleps cordiaux des tablettes & poudres *L. 2. ep. 123.* „ cordiales. Et quæ de Vautier Regio medico affert, eodem forte, quo sequentia pro more, Auto- *L. 2. ep. 10.* ris Satyrico sale conspersa sunt: „ nous avons icy „ quatre de nos medecins bien malades, dont il y en „ a deux de la premiere estime, sçavoir Mr. Rein- „ sant et Pietre, ceux qui vont trop vite sont sujets „ a se casser le nez. Le bon Martial n'a t'il pas eu „ raison de dire: Immodicis brevis est ætas & rara *l. c. p. 325.* „ senectus. Quibus cum paria faciunt ista Ramazzini, primo licet intuitu pugnare invicem visa: „ multo mitius cum Medicis res agitur, clinicis ta- „ men & lecticulariis, quorum studium præcipue est „ circa medicam praxin & quotidianam ægrorum „ visitationem; hi enim non tot morbis conflictan- „ tur, ac si aliquando ægrotant, non sedentariæ aut „ statariæ vitæ, ut I. C. sed cursuali acceptum refe- „ runt, & quæ sequuntur plane egregia, & lectu dignissima.

V.

V.

Ut vero plures aliæ morborum in medentibus causæ occurrunt, ita nullam contagio frequentiorem deprehendimus, utpote quo mediante omnis generis febres maxime contagiosæ & malignæ ipsaque pestis & dysenteria propagantur, ipsisque medicis communicantur. Et febrim quidem hactenus Poëtis, nunc quoque Medicis infestam suo confirmat exemplo H. C. Agrippa verbis pone sequentibus: Ante triduum febri laborare cœpi. Desinat nunc „ Huttenus, olim communis noster, febri succensere, „ quod poëtam liberum genus hominum invadere „ ausa sit. Jam & medicis negotium facessere di- „ dicit. Quid jam ego nisi creberrime audio, Me- „ dice, cura te ipsum: vel, alios salvos fecit, se nunc „ liberet, si est Dei filius, & credemus ei. Ovidium „ jam mihi renasci cupio, qui diris in febrem scri- „ ptis meam innocentiam ulciscatur. „ Quæ eadem Martialis mens fuisse videtur, ita canentis: *L. 7. ep. 47.*

Nequius a Caro, nil unquam Maxime factum est, *L. 10. ep. 77*
Quam quod febre perit; fecit & ille nefas,
Sæva nocens febris saltem quartana fuisset,
Servari Medico debuit illa suo.

Ne vero in colligendis exemplis passim obviis febrium algidarum medicis molestarum operam temere perdamus, unius J. N. Pechlini recordamur, qui de febre tertiana duplici, quotidianam sæpe mentiente, hanc tamen idcirco non penitus negandam in proprio corpore expertus est, id quod hisce prodit verbis: At mihi non in aliis tantum, sed in „

„ ipso hoc corpore per varia olim febrium genera
„ deducto, tandem etiam quotidianæ exquisitæ im-
L.2.obs.20. „ petum sustinere concessum est. Conringium et-
iam olim incomparabilem virum & πολυμαθέςαθον,
ex tertiana ægrotantem non remediorum apparatus, sed conceptum ex magni Meibomii sermonibus gaudium unice restituit, quod ex insignis generi
L.3.obs.27. ejus D. D. Schelhameri ore ab eodem Cl. Pechlino litteris consignatum est. A febribus vero acutis, malignis & contagiosis, petechialibus quoque epidemice grassantibus, non facile Medicum quendam insignem, eumque pragmaticum immunem mansisse deprehendimus. Nam & P. Forestum, A. Thonerum, P. Höchstetterum, S. Schefferum, J. A. Lindenium, F. de le Boë Sylvium, J. Dolæum, G. W. E. H. & C. Wedelios, N. Hannekenium, M. B. Valentini, T. Zuingerum, febribus malignis laborasse, nonnullos & vitam iisdem finiisse, memoriæ proditum est. Pestilentiam ipsam veram Noviomagi populariter grassantem Isbrandus de Diemerbrock in proprio corpore expertus est, & diligenti fumi miotianæ
L. de peste hist. 17. usu, ipse ut fidem facit, propulsavit. Sic & peste Londinensi Alexander ipse Thomson correptus, quid secum actum fuerit, pulchre in Historia morb.
1702. p.235 Vratisl. expositum est, peste vero Lipsiæ sæviente in uno medicorum pestilentialium urinam cruentam
ep. ad F. Schrader de pest. Lips. mox ipsa mors compescuit, teste Jo. Bohnio. Guilielmum quoque Arragosium Tholosatem, aliquot Galliæ Regum chymicum expertissimum, qui omnem sibi victum, antequam caperet, mensurari

cu-

curavit, 1610. 97 æt. annum feliciter emensum pestifera lue obiisse, T. Zuingerus non minus autor est, ac quod circa initium seculi XVII pestis Basileæ intra biennium ultra sex hominum millia, & quinque simul medicos, inprimisque Jacobum Zuingerum abavum suum abstulerit. Pestem vero Londinensem 1603. in hebdomadas singulas quatuor hominum millia tumulo intulisse, extinctis quinque præcipuis medicis, inter alios T. Mouffeto in mediam pestem conjecto, H. ab Heer fidem facit. Augustæ Vindelicorum 1678. febrim primo malignam, pestis anteambulonem sæviisse, ac multos omnino interque illos nonnullos egregios medicos perdidisse, P. Höchstetterus pluribus exponit: idemque in peste nupera Hamburgensi, Viennensi, Ratisbonensi, Hafniensi, ipsaque Massiliensi nuperrima contigisse, nemini non notum est, ac de medicis sigillatim Montispessulanis Annales Vratisl. consuli merentur. Ac ut plura mittamus alia peste correptorum extinctorumque Medicorum, exempla, & Petrus Severinus Danus, & Marcus Aurelius Severinus Neapolitanus, magni uterque nominis, uterque peste interiit, idemque Daniel Sennertus, communis quondam Germaniæ magister, expertus est fatum. Tot maximos „ nimirum Medicos, & ante nostrum sustulit pestis, „ ut sit difficile numerum inire. Hac Gesneri, hac „ Capivaccii, & illi Herculei Saxoniæ, ne cœteros „ nominem, mortalium cœtibus exemti sunt. Ac „ tantum abest, quicquam eorum id detrahat glo- „ riæ, ut augeat plane atque amplificet. Quasi alio „

de vitæ longæv. p. 67.

Sichr. und geschvv. Artzt p. 772.

Obs. p. 135.

Dec. 7. cas. 1. schol.

1722. Aug. p. 16.

„ morbi genere magni antistites vitæ nequierint, „ perimi, ni pernicissimus omnium, & qui plus ali- „ quid, quam morbus, supervenisset, quæ sunt Augusti Buchneri, quibus optimo Collegæ ultimum vale dixit, verba. Dysentericorum vero Medicorum, ut ingens occurrit numerus, ita Avenzoar, Medicus Arabs, de se ipso recitat historiam, quod in itinere comederit herbam, quam non nominat, ex qua factus fuerit dysentericus. Angeli Salæ dysentericí A. Rhodius, Coxe vero Angli dysenteria acutissima laborantis T. Sydenhamius, Casparis Hoffmanni G. Francus, Collodæi Lithotomi Guido Patin, Baumanni vero Physici Hallensis Suevi & Practici Veterani, dysenteria extincti Rosinus meminit Lentilius. His sane idem, quod J. P. Lotichio evenit, qui ex visitatione ægrorum dysentericorum locosostri contagium accepit, ut ex propria ejus observatione Laurentius Straussius annotavit.

Or. paneg. Dan. Sennert.

Obs. p. 157. Op. p. 232. de nox. stud. l. 1. ep. p. 252. eteodr. p. 880.

Palestr. med. p. 188.

VI.

Apoplexia ut familiaris est eruditorum morbus, ita & Medicorum plurimos, senio præsertim, laboribus aut morbis diuturnis & gravissimis confectos corripere nec pauciores letho tradere consuevit. Ita præter Nicolaum Biesium, Lovaniensem, Henricum Brucæum, Rostochiensem, Janum Cornarum, & Jo. Hadrianum Slevogtium Jenenses, Jo. Ruellium Parisiensem, Jodocum Willichium Francofurtensem, Jo. Michaëlem Lipsiensem, Julium Andream Bötticherum Helmstadiensem, Professores, Balthasarem Brunnerum Hallensem, Jo. Sambucum, Me-

Medicum Cæſareum & Poëtam, Jo. Scultetum & Jo. Danielem Horſtium, Phyſicos Ulmenſes, Ludovic. Septalium Mediolanenſem, & Marcellum Malpighium Bononienſem, quos omnes apoplexia extinctos eſſe conſtat, de Hieronymo inprimis Fracaſtorio in vita ejus relatum accepimus, quod inter prandendum Pataviiapoplexia correptus, amiſſo penitus ſermonis uſu manu ſubinde in verticem porrecta adſtantibus innuere voluerit, ut celeriter cucurbitula ibi appoſita cerebro ſuccurrerent, quo remedio ſe quandam veſtalem virginem reſtituiſſe meminerat, id vero cum iſti non intellexiſſent, ſub noctem expiraverit. Apoplexiam cum memoriæ defectus aut ſequi aut comitari ſoleat, ſingulare eſt, quod de ſe ipſo J.N. Pechlinus ſcriptum reliquit: Mihi certe & ipſi „ cum in memoriæ illo deliquio tardum contigit „ in ſeriis excutiendis negotium, poſt habitas e ca- „ thedra controverſias ſæpe ad ſubtilia & aliena di- „ labentes, unius alteriusque ſcrupuli animoſa ex- „ plicatione vocis viriumque tanta ſæpe oborta eſt „ jactura, ut deinde nec animus nec corpus ulli am- „ plius operæ ſufficere videretur. „ Spasmodici affectus haud quotidianum præbet exemplum Jo. Laur. Bauſchius, Phyſicus Suinfurtenſis, Academiæ Naturæ Curioſorum fundator, qui, ut in vita ejus legitur, dolorem quendam pungitivum, ſenſiles maxillæ dextræ partes acriter vellicantem expertus eſt, mitiorem initio & per intervalla tantum moleſtum, ſed mora profundius actis cuniculis, in tantum aliquot annorum ſpatio invaleſcentem, ut lecto illatus

L. 3. obſ. 6.

vix

vix loqui imo nihil plane solidioris deglutire posset, immanibus sub maxilla & cerebri sensoriis doloribus divexatus, quibus & tandem succumbens atrophia accedente vitam cum morte commutavit. Tremorem digitorum singularem a causa singulari expertus est F. Dekkerus, quem sequentib⁹ describit verbis: „ Observavi t. t. in me ipso quod notatu di-
„ gnum, frequentioribus visitationibus, ac medica-
„ mentorum præparationibus summe defatigatus
„ radicum controyervæ filamenta cum abscinde-
„ rem, ut in pulverem redigerentur, subito & quasi
„ momento tremorem omnium digitorum manus
„ dextræ sensi, quare confestim omnibus missis di-
„ gitos manumque spiritu cephalico, salis armonia-
„ ci spiritu parum acuato fricando & calefaciando
„ tollere tremorem studui, verum frustra: non
„ enim cessavit ille digitorum tremor per duas fere
„ horas, tum vero postquam omnis sensus quasi ex-
„ pertes fuissent digiti, per quadrantem horæ omnis
„ tremor evanuit, nullo remanente dolore obtuso
„ vel defatigatione; post biduum eadem filamenta
„ abscindens, idem digitorum tremor rediit, sed
„ levior, triduo post tertia vice experimentum feci,
„ & tremorem, sed plane exiguum, quarto plane
„ nullum observavi. Neque a doloribus capitis immunes sunt medentes, sed iisdem satis graviter interdum afficiuntur. Galenus magnopere laudat Medicum, qui quinquagenarius in cephalalgia nocte sibi venam inciderit, ut Jo. Langius autor est: L. Geislerus dolorem capitis periodicum in se ipso expertus

Exercit. pract. p. 533.

L. 1. ep. p. 155.

tus eſt, C. Vatero teſte. De D. Videl doctiſſimo medico ſimul & mathematico Petrus refert Borellus, quod ſtomachus ejus tanta bilis copia refertus fu- „ erit, ut vapores ejus hemicraniam tædioſam in eo „ producerent, utque ſæpe vomitu illam rejicere „ conaretur, quo mire ſubitoque levabatur, dum „ autem illam in terram ejiciebat, bulliebat inſtar „ aquæ fortis, quod certe mirum eſt, & a nemine, „ quod ſciam, ſcriptis mandatum. „ Philippus vero Salmuthus de ſe ipſo ſequentem ſcribit in modum: Semel acerbisſimis capitis doloribus tentatus „ ſum, ita ut per integrum triduum duo domeſtici „ manibus ſuis illud noctesque & dies continere æ- „ qualiſſime cogerentur. Tandem ſuppreſſarum „ hæmorrhoidum forte recordatus pil. de hiera „ ſimpl. 35. cum euphorb. gr. III. deglutio, atque in- „ tra horæ unius ſpatium fruſtum ſanguinis concre- „ tum palmam æquans excerno cum manifeſta & „ momentanea ſtatim allevatione poſtea vero & „ alia, ſed minora fruſtula ſecuta fuere. „ Dentium dolorem Carolus Piſo quanquam non diffitetur, aliquando ab aliis poſſe ſuboriri cauſis, tamen ab eluvie ſeroſi humoris e cerebro decumbente eum creberrime imo fere ſemper ſuccreſcere ſtatuit, proprioque confimat exemplo, quando ſumto cathartico ſeri limpidi libram vomitu cum levamine reddidit, odontalgia ante moleſta decem annorum ſpatio non redeunte. Epilepſia Avicenna Arabum Medicorum princeps, ſed non tam artis aut exercitationum culpa, firma enim valetudine gaviſus eſt, quam libidinibus

de dolor. §. 17.
Obſ. phyſ. med. cent. 2

Cent. 1. Obſ. LXXIII.

de morbis a colluv. ſeroſ. p. 43.

bus contraxit, unde exhaustis viribus morbo sacro
Dec. I. vol. 6. diem obierit supremum, ut in Actis Med. Berol. legere est. Oculorum usum ipsumque visum aut obscuratum aut plane sublatum ut multi variis laboribus fracti cum Ulysse Aldrovando, Joanne Borgerio, Avenzoare experti sunt Medici, & Hannemanni Plempii, Plateri, Bartholini cataractam metuentium
1673. obs. 100. exemplis constat, ut in Actis Medicis Hafniensibus refertur, itemque apud Henricum ab Heer anonymus quidam Medicus radiis lunæ excœcatus sed curatus occurrit, nec D.D. Preussii & Oehmbii ophtalmia afflictorum in Historia morb. Vratisl. recensita
1699. p. 15. 66. 95. exempla contemnenda veniunt; ita memorabile inprimis Jacobi Schegkii, Professoris Tubingensis est paradigma, utpote qui integro ante mortem decennio visu penitus privatus studia majori alacritate prosecutus est, & varios tractatus medicos edidit: cumque quidam ophtalmicus sese eidem visum restituere velle, pollicitus esset, respondit, se multa in vita vidisse, quæ maluisset non videre, optare se, ad nonnulla etiam surdum fuisse, ut in vita ejus, & a D. G.
Pol. to. II. p. 60. Morhofio relatum legimus. Linguæ vero morbos utut rariores, neque tamen Medicis parcere, tum Adolphi Vorstii, Professoris Lugduno-Batavi, & A. Mackii, Archiatri Swartzburgici, tum Ottonis inprimis Brunsfelsii, Poliatri Bernensis, exemplis constat, quippe quem ex dolore & ardore linguæ morbo tunc ipsis Medicis ignoto 1534. fatis concessisse, in vita ejus narratur, sicut & D. Preus cum affectu paralytico-spasmodico linguæ & lateris dextri sæpius recur-

recurrente tractatum esse, in Histor. Morb. Vratisl. commemoratum extat.

VII.

In morbis pectoris pleuritis inprimis & peripneumonia Medicis infesti morbi sunt. Sic Hadrianus Junius, Medicus, Historicus & Poëta doctissi- „ mus alterum ab Erasmo Hollandiæ lumen, ex gra- „ vi lateris ulcere decumbens vitam cum morte „ commutavit 1575. æt. 63. mense cognomine: sub „ mortis tempus Academiæ Lugduno Batavæ na- „ scenti inter primos Professores destinatus, sed in- „ ter ipsa initia morte abreptus inchoare munus non „ potuit, „ ut Jo. Meursius autor est. Thomas ipse Willisius perpetuis precibus, studiis, laboribus & eleemosynis exercitus, Henricus Meibomius, Daniel Ludovi, Jo. Andr. Stisserus, & Jo. Antonides van der Linden, de quo supra, pleuritidem, eamque lethalem experti sunt, quorum postremum non sine satyrico sale dimittendum censuit G. Patin, obitum ejus ita describens: van der Linden est mort a Leyden „ age de 53 ans d'une fievre avec fluxion sur la poi- „ trine, apres avoir pris de l'antimoine, et sans s'ê- „ tre fait saigner. Quelle pitie! faire tant de livre, „ savoir tant de latin et de grec, et se laisser mourir „ de la fievre et d'un catarrhe suffoquante sans se „ faire saigner. „ Ad eundem fere modum & morbum & mortem D. Vacherot Medici Parisiensis famigeratissimi idem enarravit G. Patin. Sed meliori fortuna ex hoc morbo eluctatus est J. J. Scheuchtzer, ut omnem rei historiam fuse ab ipso conscriptam

Athen. Bat. p. 93.

L. 2. ep. 165.

L. 2. ep. 173.

1724. *Jul.* *p.* 91. in Annal. phys. med. Vratisl. legere est. Tussis ut frequentissime & omnis generis homines, ipsosque Medicos impune non raro afficit, ita singulare est, quod de Medico quodam abunde erudito, divexato crebrius a tussi, articulorum dolore, cibi fastidio, aliisque destillantis pituitæ incommodis Nicolaus refert Tulpius, quod quasi pertæsus molestiarum ad antimonium ceu sacram anchoram confugerit; ejus enim usu elicuisse quidem pituitam ex ventriculo; sed offendisse iterum usque eo pulmones, ut dissoluta ipsorum compage eruperit ab ore non tantum frequens sanguis: verum tam ingens pulmonis frustum, ut inde dictum ac factum obierit. Vomica pulmonis latens & inprimis abditum vitium est, sæpe nec laboranti nec Medico notum, quo laborans ipse nec consueta munia intermittit, nec se morbo teneri putat; causamque interitus sui nesciens intus gerit sub pectore, neque pauci inopinato e vivis horæ quadrante erepti sunt, in quibus dissectis non alia mortis causa comparuit, quam repentina vomicæ diruptio in pulmonibus, e qua pus in cordis arcem penetraverat, ipsius vim extinguens atque obruens: & duo Medici percelebres nec febre nec in-„ appetentia, nec alio ullo symptomate impendentem„ sibi diem vitæ supremum præsenserunt, ut Jo. Fernelius apposite satis scriptum reliquit. Sic & Laurentius Bellini se quoque vomica laborasse, tradit. Eodemque morbi mortisque genere tactus sine dubio is, cujus H. C. Agrippa meminit, Medicus anonymus. Empyemate laboravit J. G. Macasius, ut ex

L. 2. *c.* 14.

L. 5. *c.* 10. *de part. morb. & sympt.*

d. Aff. pect. *p.* 667.

L. 6. *ep.* 17.

ex Neſtero G. H. Velſchius memorat, & Gregorius Horſtius filius, Medicus Ulmenſis, empyemate tandem afflictus a biennio, rupto pectoris abſceſſu, viribus ſenſim dejectis vitam finiit, ut in vita ejus legitur. *Obſ. propr. p. 150.*

Carolus Patin polypo cordis diu laboravit, tandemque extinctus eſt, ut in Germanorum Ephemeridibus relatum extat. *App. ad An. I. Dec. III. l. c. p. 507.* Sed non eſt quotidianum, quod de ſe ipſo iterum Fridericus narrat Dekkerus: Ipſemet per ſesqui annum dolorem tumoremque pectoris circumtuli, verum Deo O. M. ſummas tandem agere gratias debeo, quod eo ſum abſolutus. „ „ „ „ Hæmoptyſi, & quæ eam ſequi ſolet, phtiſi complures magni Medici, & afflicti & extincti ſunt. Nam ut Hieronymum Tragum, Jeremiam Triverium, Johannem Viſcherum, Levinum Battum, Laurentium Scholzium, Andream Kragium, Petrum Kirſtenium, Joannem Philippum Pratenſem, phtiſi omnes aut hectica ſaltem febre e vivis ſublatos ſicco prætereamus pede, de D. O. Schradero, Friderici Schraderi filio idem in memoria ejus, quod de C. F. Mentzelio celebri & aulæ æque ac civibus Berolin. gratiſſimo Medico in Actis Med. Berol. relatum legitur. *Vol. IV. p. 9.* Sic & G. Wirth ſpectatum rei medicæ doctorem conſobrinum ſuum eodem morbi genere obiisſe, Jo. Langius autor eſt. *L. I. ep. 40. p. 173.* Ac ſicut de Laurentio Straussio, Profeſſore Medico Gieſſenſi Collega ejus, J. F. Dillenius refert, quod toto quidem vitæ curſu valetudine uſus ſit ambigua, tenerrima, variisque ſubinde morbis interrupta, ac præter cœtera inter initia profeſſionis academicæ hæmoptyſi vix non *Memor. Strauſſ.*

lethali tentatus sit gravissime, indeque ad phtisin inclinans fluxionibus subinde acrioribus, aliisque symptomatibus tentatus tandemque confectus fuerit; ita & de Cypriano Medico doctissimo & Collega suo Petrus refert Forestus, quod melancholia diu affectus longa & diuturna tussi & catarrho tandem in sputum sanguinis, mox & tabem & pulmonis ulcerationē inciderit, ac licet longo tempore vitam protraheret, antequam decumberet, tandem præsidiis nihil juvantibus vix 47. annum excedens vera tabe & pulmonis ulceratione obierit. Phtisis vera autem, ut subjectos sibi clientes ad lethum plerumque comitari solet, ita non vulgare est, quod de patre suo dilectissimo & ipso expertissimo medico Richardus narrat Morton, ipsum nimirum utut continua tussi, respiratione difficili, febribus putridis frequentioribus, levique etsi continuo caloris hectici gradu laborantem vitam licet valetudinariam hoc pacto a XXX. ad LX. ætatis annum protraxisse tandemque non a phtisi pulmonali, a qua per tres posteriores vitæ annos plus quam alias visus est liberari, verum a febre synocho putrida epidemica, quæ 1658. publice per Angliam grassabatur, e vivis sublatum esse.

L. XVI. Obs. 54.

phtisiol. p. 49.

VIII.

Ut vero phtisis in pectore, ita hydrops in abdomine plerumque sedem fixam agnoscit, qui tamen & ipse pectoris cavitatem ipsumque pericardium non raro occupat. Ita cum „ J. J. Wepferi pulsus esset „ plerumque tardus, interdum inæqualis, sæpius in„ termittens, exercitatissimi viri animo suspicio

aquæ

aquæ ſ. hydropis pericardii diaſtolen cordis impe- „
dientis altius inſedit, & poſt mortem in quovis la- „
tere thoracis libræ tres aquæ limpidæ fluctuarunt, „
cui pulmones coarctati quidem libere tamen in- „
natarunt, ut ab illuſtri ejus genero J. C. Brunnero *Memor. Wepfer.*
memoriæ proditum eſt. Alias præter Tobiam
Tandlerum Vitembergenſem & Petrum Mulerium
Groningenſem Profeſſores, Leonhardum Doldium
& Michaëlem Rupertum Beslerum Noribergenſes
medicos, J. U. Rumlerus ex hydrope obiit, lienis „
præcipue ſeditione excitata, non tamen ignoto „
exitu, ut quem adverſas ſtellarum errantium re- „
volutiones ſibi comminatas ex aſtrorum ſcientia, „
qua non vulgariter pollebat, diu præviderat, „
ut a G. H. Velſchio eſt obſervatum. Qui & ipſe fama *Obſ. Rumt. præf.*
meritisque celeberrimus Medicus & Polyhiſtor una
cum Gregorio Nymanno Vitembergenſi, Petro Pa-
vio Lugduno-Batavo, Chriſtiano Perizonio Grö-
ningenſi, Joanne Gorræo Pariſienſi, Henrico Petræo
Marpurgenſi Profeſſoribus, Laurentio Laurentia-
no, philoſopho & medico Florentino primum, de-
mum Piſano & Joanne inprimis Fernelio melancho-
lia hypochondriaca ex ſtudiorum inprimis intem-
perie contracta laboravit, nam de hoc notatu maxi-
me digna videntur, quæ in vita ejus leguntur verba:
in eo videtur iniquior contigiſſe fortuna, quod im-
becilla ſanitate ex ſtudiorum vigiliis potitus lienoſus
& decolor perpetuo vixerit: Et fallor annon eodem,
familiari certe eruditorum morbo Thomas labora-
verit Reineſius, quem ſemetipſum poſt pertinaciſſi-
mas

mas lucubrationes, neglectum capitis muniendi, & tumultuaria per saxa, per ignes, intempestis noctibus, stridentibus austris & coris, itinera expertum esse, ad Casparem perscripsit Hoffmannum. Sicut vero Galenum fuisse somnambulum, & Theophilum in febre tibicines sibi audire visum esse, G. Vogtius perhibet, ita J. B. Helmontius non tamen arcanorum studio nimio, aut intermissæ venæ sectionis culpa ut G. Patin arbitratur, sed usu napelli, teste C. Vatero, phreniticus factus vitæ finem fecit. Colicæ & iliacæ passiones, ut medicis frequenter ex causis communibus eveniunt, ita non desunt exempla eorum, quibus operæ medicæ morbis istis ansam dederunt, ut Joannem Huberum, Professorem Basileensem, dum nobilis viri, licet ingrati valetudinem majoris, quam propriam fecit, & ex critico sudore surgens gelidissimo aëri se exposuisset, chordapso correptum septima die expirasse, alios inter J. R. Camerarius fidem facit. Ac ut alia brevitatis studio mittamus exempla, doctori cuidam Medico Francofurtensi remedia contra colicam apta, i. e. carminativa non apto tempore usurpata, eum pene enecasse atque ad extremam maciem redegisse, a C. Hoffmano relatũ accepimus. Ut vero abscessum mesenterii acidulis aliisque mediis in proprio curatum corpore Augustinus memorat Thonerus, ita Mr. Prevot. „ un de nos Colle-
„ gues, ut G. Patin scribit, est allè de vie a trepas d'un
„ absces ulcerè dans le pylore, qui luit causoit un
„ vomissement perpetuel.

L. XI. ep. 26

Phys. Zeit-Vertr. p. 662

L. I. ep. 3. d. phrenit. p. 74.

Syllog. Mem. Med. Cent. II. 92.

L. III. Cons. 14.

L. III. L. I. ep. 76.

IX.

IX.

Diabetem ſpuriam in ſe ipſo crebro coralliorum uſu curatam & diæta lactea ulteriorem acceſſum inhibitum notavit M. B. Valentini; Urinam vero chyloſam in Caſpare Hoffmanno obviam Hiſtoria Morb. Vratils. teſtatur. Longe vero frequentiora calculi renum & veſicæ, & quæ ipſi ſæpenumero juncta eſt, arthritidis in medentibus occurrunt exempla. Præterquam enim quod XI. Medici Mediolanenſes, ut ex H. Cardano J. Schenkius refert urinæ vitiis mortui fuerint, J. Heurnius, J. Pfeil, H. Mercurialis, J. B. Montanus, A. Mirica, A. Dudith, L. Mercatus, P. Wellerus. O. Wormius, C. & T. Bartholini. M. Ogerus, T. C. Krugg de Nidda, J. Rouſſel, N. Hannekemius, W. Laurenbergius, T. Sydenhamius, & plures alii diros calculi cruciatus experti ſunt Medici. Sic J. Caſelius ad H. Arniſæum ſeq. ſcripſit in modum: Quotidie inviſi „ Henricum Brucæum, virum integerrimum cum „ graviſſimis calculi doloribus conflictantem, nec „ minus a Deo obſecrantem vel ipſo momento mortalis vitæ, quam acerbiſſimi illius carnificis exitum. „ Idem vero ut ſit votum omnium calculo afflictorum, quo vel medicamentorum vel ferri beneficio ab ejus tortura, liberentur, non eodem tamen eventu hocce beari votum, experientia loquitur. Licet enim Jo. Martin, Medicus Pariſienſis, doctiſſimus Hippocratis interpres ferri beneficio a tortore calculo liberatus priſtinum ægros viſendi vitæ inſtitutum repetierit, ut P. Seguin refert, aliud tamen fatum, id-

Prax. Med. Infall. p. 384. 1700. p. 229.

Obſ. p. 456.

d. M. Sap. Sta. clar. p. 133.

elog. Martin.

idque longe acerbissimum O. Borrichium, summum virum expertum esse, in ipsa quippe operatione mortuum, in vita ejus legimus, & simile fatum affinem suum D. Maskosky, Archiatrum Würtenbergicum & Physicum Göppingensem expertum esse, R. Lentilius in Ephemeridibus Germanorum annotatum reliquit. Quin & Gratianum lithotomum famosissimum, cum calculo se premi ratus socio lithotomo vesicam secandam præbuisset in urbe Namurci, nihil præter tenacem pituitam eduxisse, H. ab Heer fidem facit. Arthriticos inter Medicos Gregorium Horstium patrem, Guili. Fabritium Hildanum, J. C. Scaligerum, Georgium Nœslerum, Ludovicum Jungermannum, Joannem Freitagium, Carolum Clusium, J. Dolæum, G. Patinum, L. Bellinum, Antonius Galateus, philosophus, Medicus orator, Cosmographus & poëta, commemorari cumprimis meretur, quippe qui laudationem podagræ, festivum opusculum jam podagricus dolori leniendo conscripsit, ut in vita ejus legitur; itemque P. Monavius, idque ob ingenuam hanc confessionem: „ Factus sum ex ischia-
„ dico gonagricus, inde podagricus, demum etiam
„ chiragricus, quin & colli partes malum hoc in-
„ festare non prætermisit. Præcipuam mali cau-
„ sam hæmorrhoidum, quæ s. n. singulis ferme men-
„ sibus mihi ante fluere solebant, suppressionem fuisse statuo. Singulare vero arthritici mali genus, quod in proprio observatum corpore lumbaginis elogio describit S. Grassius, in laudata sæpius Historia Morb. Vratisl. legi meretur.

Cent. I. II. App. p. 200.

Spadacr. p. 61.

ep. Craton. L. II. p. 511.

1699. p. 105.

X.

X.

Longum foret, si læsiones varias externas, morbosque complicatos, aut a nimio & intempestivo veneris usu, ab Acidulis & thermis non apto tempore haustis, & similia Medicis cum aliis communia perlustrare, & singulorum exempla undique conquirere animus estet. Quare unius tantum consuetudinis atque idiosyncrasiæ mentionem facturis Petrus occurrit Borellus, qui Medicum Mithavensem familiariter novit, qui nunquam sputum neque mucum ejecit, licet temperamento pituitoso & obeso esset, & tamen optima fruebatur sanitate, & siti raro torquebatur ob laryngis a pituita irroratum, & ob eundem loquelæ difficultate laborabat, radicis linguæ nimia irroratione. J. C. Derebecque ita de se ipso scriptum reliquit: A tredecim annis quo tempore „ florent rosæ, quotannis coryza corripior, in qua „ indesinenter per multos dies humor multus, te- „ nuis, & admodum acris, nares exulcerans, & ocu- „ los pungens ac vellicans, unde lacrymæ, idque per „ totum tempus, quo rosæ se mihi olfaciendas præ- „ bent, durat, eoque elapso sponte desint.„ Talemque antipathiam ad rosarum suaveolentiam, olim in le Febure, Chymico Regis Angliæ Caroli II. peritissimo ac celeberrimo annotavit J. Bohnius, qui cum inter operationes chymicas rosas quondam uberius tractaret, hoc infirmitatis inde contraxerat, ut a florum horũ odore mox animo linqueretur. Jacobum vero Forolivienſem, Bruerinus refert ab allio manducato perinde ac a veneno poto cruciatum fuisse. Et sicut sudorem ab usu rhabarbari luteum cl. Mentzelio antea laudato extillasse, in Ephemeridibus Germanorum legitur,

Cent. II. Obs. 68.

Obs. 92.

L. I. d. Off. Med. p. 56.

de re cibar. c. 4.

Dec. I. A. 6. 7. Obs. 78.

Hist. Anat. rar. 62. Cent. 4. Cent. 3. Obs. 8. Eteodr. p. 628.

qvales historiæ plures a T. Bartholino collectæ sunt & de D. Pfeil, H. Salmuthus simile quid commemorat, ita de D. Flekk, Medico Curone Rosinus refert Lentilius, quod fumo nicotianæ adsuetus, eo postmodum intermisso vitam cum morte brevi commutaverit. Sed desinendum tandem est. Quare non nisi pauca ex docta Philippi Höchstetteri præfatione, quam observationibus suis præmisit, delibabimus, in ægrotantium solatium Medicorum. Ita autem ille plura inter alia satis egregia: „ Laudatur candela ardens, quia utilis, at hæc „ ipsa in hac utilitate consumitur & dissipatur. Sumus & „ nos lumen, quod divinum accendit numen, ut hominibus „ ad sanitatem præluceamus in quo opere si consumimur, quid mali? hisque T. Sydenhamii finiemus verbis: „ Si „ sævissimi isti cruciatus, impotentia ad motum, cœteraque „ corporis mala, quæ ego per maximam vitæ partem sum „ perpessus, una cum damno rei familiaris, quod sustinui, a „ medicina facienda toties adversa valetudine avocatus, aliis „ quietem & ἀναλγησίαν possit comparare, erit, unde me „ fructum aliquem miseriarum hujus generis, quas in hoc „ vita toleravi, in aliam migrans percepisse, existimabo.

ad Remp. August.

Tr. d. podagr. Op. p. 608.

S. D. G.

SERIES CAPITUM.

I. *Medicum sanum an ægrotantem esse, præstet?* II. *Medici Longævi.* III. *Causæ vitæ longæ & brevis, morborumque in Medicis.* IV. *Causæ morborum specialiores in Medicis clinicis, aulicis, castrensibus, & iter facientibus.* V. *Morbi Medicorum a contagio, febris, pestis, dysenteria.* VI. *Morbi Capitis, Apoplexia, Memoriæ defectus, Spasmi, Capitis dentiumque dolores, Oculorum & Linguæ morbi.* VII. *Morbi Pectoris, Pleuritis, Peripneumonia, Vomica, Empyema, Phtisis.* VIII. *Morbi Abdominis, Hydrops, Colica Ileus, Melancholia Hypochondriaca.* IX. *Nephritis, Arthritis, Lumbago.* X. *Morbi Complicati, ab Acidulis, & thermis, a læsionibus externis a nimio veneris usu, ab idiosyncrasia, Epilogus.*

CO-

COROLLARIA.

I. Thales Milesius & Jo. Baptista Helmontius aquam universale rerum omnium principium, nec sine specie, esse dixerunt.

II. Ignis non est elementum, multo minus, ut Anaxagoras voluit, unicum & primum.

III. Principia chimica stant post principia.

IV. Aut æther est anima mundi, aut nulla est.

V. Methodus scribendi formulas, Recepta dictas, Medicis usitata, ex Aegypto, vel & ex Pythagoræ schola procul dubio originem traxit.

VI. Idem de characteribus chimicis sentiendum.

VII. Motum corporibus denegandum non esse, operationes medicamentorum inter alia confirmant.

VIII. Dantur in corpore humano operationes plus quam mechanicæ.

IX. Non datur in rebus naturalibus attractio, licet veteribus non modo, sed & summis hodie in Britannia philosophis adserta.

X. Quæ de venenis lentis & temporariis circumferuntur, incerta sunt pleraque.

EX-

* * *

EXPERIENTISSIMO DOMINO CANDIDATO SUO PRAESES

S. D. P.

Miſera res eſt Medicus, omnium quippe hominum homo, & omnium horarum homo. Quid mirum ergo, ſi & ipſe nihil valente auxiliorum omnis generis adparatu morbos quoque varios, & communem mortalium ſortem experiri cogatur. Hoc certe argumentum a nemine hactenus agitatum, dignum Tibi viſum eſt, in quo ingenii experireris vires. Quare, cum nullum ſit dubium, quin eâdem facundia, ingeniique promptitudine iſto de capite haud e trivio petito publice verba facturus ſis, qua medicorum ordini varia tecum pericula inſtituenti obviam ire didiciſti, ut honoribus, brevi Tibi ejusdem nutu conferendis ex voto fruaris, & benedictionis divinæ tutela ſecurus LANGIORUM inclyta Medicis nomina, famam, & merita adæquare contendas, jubeoque & precor!

Vale!

Dabam e Muſeo d. XII. Maji cIↃ IↃCC XXXII.